



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Peccatis Et Gratia, Fide, Spe, Et Charitate

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Quæstio II. De Peccato Omissionis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82969](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82969)

humanus dividatur in actum bonum & malum, hoc inde est: quia actus debet se accommodare potentiae, & cum potentia à rectissimo artifice ordinetur ad profequendum malum, fit ut actus sequens potentiam primò exigat esse bonum, licet, ut dixi supra, non determinet sibi unice bonum.

INSTAT 1. Haunoldus lib. 2. n. 430. Si Actus malus completeretur formaliter in Ratione mali per privationem Actus boni pariter dici posset quod Actus in Ratione boni formaliter compleatur per Negationem Actus mali. Atqui consequens est falsum. Ergo & Antecedens.

RESPONDETUR. In istis Principiis non formalitari malitiam peccati per privationem Actus debiti ut supponit arguens, sed per privationem rectitudinis debita in esse. Quare autem Actus bonus non compleatur privationibus cum illis compleatur Actus malus, disparitas danda erit ex rationibus & explicationibus conclusionis.

INSTAT 2. Album formaliter in ratione albi non compleatur per privationem nigredinis & sicut non esse Nigrum habetur quidem formaliter à negatione Nigredinis, hæc tamen negatio non est complementum effectus formalis alibi, ita non esse laudabilem in Ratione amanti Deum formaliter quidem habetur per negationem amoris, hæc tamen Negatio non est Complementum odii. Error item non compleatur per negationem scientiæ & e converso. Ergo & in præfenti Actus malus non compleatur negatione Actus boni.

RESPONDETUR. Transeat totum; neque enim per nos formalis actus malus negatione Actus boni, disparitas autem vel ex eo peti debet, quia Nigredo & Albedo sint qualitates positivæ bonaque physica non debent ultimo compleri per aliquid negativum. Odium autem V. S. Dei est malum & imperfectio. Quod attinet ad errorem nego illum in Ratione mali non compleri negatione.

INSTAT 3. Malitia formalis non est aliud quam contrarietas ad legem obligantem atqui hæc contrarietas formaliter consistit in Actu positivo.

RESPONDETUR. Negando minorem. Lex autem immediate præcedens quomodo obliget ad talem Actum non ponendum ita ut ex modo obligandi sequatur malitiam peccatum ultimo compleri per aliquid negativum. De hoc supra.

QUÆSTIO II.

De Peccato Omissionis.

Commissionis peccato tanquam membro dividenti, peccatum. Ut sic, opponitur Omissio, de qua hic tractandum. Nomine autem omissionis peccati venit transgressio legis

positivè imperantis aliquid v. g. audi sacrum, da elemosynam &c. Ut autem ipsum difficultatis punctum commodius attingatur, penetretur que natura hujus peccati, formari solet hæc quæstio, an sit possibilis pura omissio libera peccaminosa. Quod ipsum ut intelligatur.

PRÆMITTO 1. *In quo non sit status Quæstionis de Omissione pura Libera.* In primis: Non est de hoc quæstio, An sine ullo actu directo sive interno, sive externo possit peccari peccato omissionis. Ratio communis est: quia aliquis potest omittere audire. Sacrum præceptum, non dicendo directe; nolo audire sacrum, vel assumo hanc occupationem ex directa intentione ne audiam sacrum. Unde sufficit accipere actionem impossibilem, ex qua prævidetur secuturus effectus quem fortassis vellet non sequi. Non est item de hoc quæstio, An possit dari omissio externa sine ullo actu externo. Ratio: quia non est imaginabile omittere aliquid actu externo v. g. omittere auditionem externam sacri, & non ponere v. g. remansionem domi, foris. Non est item de hoc quæstio, an omissio libera possit esse sine omni actu intellectus. Ratio: quia & esset illa omissio libera, ut supponitur; & non esset: quia non esset voluntaria: nihil enim volitum nisi præcognitum. tu autem etiam actus intellectus non ponis antecedenter ad puram omissionem, qui sit ad illam requisitus, & quem illa involvat. Nec item de hoc quæstio. An ordinariè & moraliter loquendo omissio peccaminosa contingat cum actu voluntatis saltem indirecto, & qui sit occasio omissionis. Ratio: quia experimur frangi præceptum positivum auditionis sacri ob voluntaria impedimenta impletionis præcepti affirmativi.

PRÆMITTO 2. *In quonam sit status Quæstionis.* Nempe, An possit dari omissio hoc sensu pura, hoc est, non involvens ullum actum directum, vel indirectum, quæ tamen omissio sit libera, adeoq; peccaminosa.

PRÆMITTO 3. *Quæ sit hac in parte mens Auctorum.* aliqui affirmant possibilem esse puram omissionem liberam, talis est ex nostris Suarez. Valent. Azor. Ariaga & Oviedo. Cont. 10. Animæ & Perez c. 6. Negativam putatur tueri Vasq. sed non ita clarè. Nam quamvis doceat: nunquam de facto contingere peccatum sine actu positivo; admittit tamen posse voluntatem suspendere omnem omnino actum circa objectum propositum, quod favet puræ omissioni. Absolutè tamen negativam tuerentur Thomistæ. Baldel. Lugo, & post illos Espar. de Act. Hum. q. 15. Alii autem secuti Cajet. docent. Omissionem, si detur, non fore peccaminosam, quod etiam tueretur Hurtado de Incarnatione. cit. ap. Oviedo de Actibus hum. contr. 6. n. 13. Contra quam restrictionem agit Oviedo in Animalisticis. Consulatur. His præmissis.

DIFFI.

DIFFICULTAS I.

*Preponuntur quadam huc conce-
rentia.*

Cardinalis Pallavicinus in 1. 2dæ D. 3. q. 2. ca. 2. & sequentibus ponit hanc conditionalem. Sinon detur pura Omissio libera respectu Dei, vel creaturæ, nullæ dabuntur negationes, aut privationes puræ. In qua Hypothesi dicit se convenire eum Perez, licet iste ponat possibilitatē omissionis puræ liberæ in Creaturis & Deo. Neget Sfortia. Qui circa hoc punctum. DO CET I. *In quoniam consistat formalitas conceptus positivi, & conceptus negativi, & in primis.* Formalitas Conceptus positivi, non potest esse idem nominaliter, ac conceptus objecti realis & non ficti: alioquin nulla esset quæstio, An daretur objectū aliquod reale præter omne positivum. Neque conceptus entis positivi idem est ac conceptus boni, & prudeniter amabilis. Ratio. quia Conceptus boni, est aliquid consequens ad conceptum entis, imò neque hi conceptus sunt convertibiles, ut docebat Perez: quia bonum seu ens pressè acceptum, vel est substantia, vel est perficiens substantiam. adeoq; vel est bonum Cui, vel est bonum Quod, sed potest dari aliquis conceptus realis positivus, qui neque sit substantia, nec perficiens substantiam: Nam actus Dei liberi secundum illud æternum reale esse (quodcunque illud sit) quod dicunt supra essentiam Dei necessariam, neque sunt substantia, neque substantiam perficiunt: Deus enim est æquè perfectus sine illis; alioqui illi actus non essent Deo liberi, sed necessarii, & tamen non dicuntur esse aliquid negativum sed positivum. Igitur Conceptus objectivus Negativi prout distinguitur à positivo consistet in hoc, quòd positivum ex prima ratione non ducat in cognitionem sui oppositi, tanquam fundamenti suæ cognoscibilitatis, secus verò negativum. e. g. Dum concipio lucem, necesse non est ut muter conceptum lucis ab ejus opposito, hoc est, tenebris. at quando concipio tenebras, nihil possum intelligere nisi per conceptum lucis tanquam per fundamentum cognoscibilitatis, quæ est in tenebris. quod ulterius sic illustrat. Proprium est unicuique relationi, quòd non possit concipi, quin concipiatur aliquis terminus absolutus tanquam fundamentum cognoscibilitatis. Sed negatio extensivè etiam ad privationes accepta, habet hoc peculiare inter alios conceptus relativos, ut ejus terminus, debeat quidem simul cum ipsa agnita cognosci, sed non possit cum ipsa formata affirmari; imò cum ipsa formata necessariò negatur: non possum enim affirmare tenebras, quin negem lucem, ex alia parte possum affirmare lucem, quin aliquid cogitem de tenebris. Fundat hanc explicationem terminorum etiam in Aristotele. quia per Ari-

stotelem ponere est idem ac concedere & affirmare: negare verò est idem, atque exercere judicium negativum. *Hec Doctrina*

NON SATISFACIT. Tum quia. Non probat universaliter, quare non idem sit positivum & reale. Quod ipsum ostenditur. quia probat quidem reale sumptum pro non ficto non idem esse quòd positivum, de facto enim negationes, verè non sunt quid fictum, & tamen non sunt quid positivum. Sed non ostendit si accipiatur reale pro explicabili per formam abstractam, quæ est ratio, & quæ fundat ipsum non esse ficti in ente, quòd non est negatio; quare, inquam, non sit idem cum ente positivo. Unde sic sumendo reale non potest quæri, An datur aliquod objectum reale, quòd non sit positivum: Nullum enim tale datur. Tum quia. Ratio illa quæ probat, quòd positivum non sit convertibile cum bono, & prudenter amabili, non convincit: Nam quòd dicit: Actus Dei liberos, non esse quid negativum, sed positivum, & tamen non perficere Deum. ad hoc responderi potest. quòd actus liberi non perficiant Deum re ipsa, sicut nec actus necessarii, quasi sint re ipsa distincta perfectio, nec perficiunt Deum etiam ex modo nostro concipiendi perfectione tali, quæ sit omninò requisita ad esse perfectum Dei determinatè & necessariò; quali scilicet hos non nisi determinatè actus liberos poscat Deus. perficiunt tamen perfectione, quæ est requisita ad esse Dei indeterminatè, hoc est, debet perfici non quidè hoc determinatè quia potest perfici alio opposito determinatè, ita tamen ut sit necesse aliquo eorundem perfici. Quòd autem perficere competat suo modo, etiam Actibus liberis, probatur à pari: quia etiam actus creati liberi suo modo perficiunt naturam rationalem. Deinde quid deest actui libero ne sit perfectior, quamvis non sit perfectio simpliciter simplex. Denique eo ipso: quia Deus non liberè sed necessariò liber est, & quidem liber in actu secundo, quamvis non determinet hunc vel illum actum, tamen deponit actum secundum: impossibile enim est esse ens liberum in actu secundo, & non velle aliquid liberè, ea autem, quæ saltem vagè necessariò petuntur à Deo, tanquam aliquid illi immanens, cur non perficiant Deum. Tum quia. quòd adfert per hoc distinguendum positivum à negativo: quia scilicet positivum non ducit in cognitionem sui oppositi v. g. lux in cognitionem tenebrarum; negativum autem ducit ad cognitionem positivi, id non convincit: Concedi enim potest, quòd hoc prædicatum conveniat enti positivo, sed negatur quòd conveniat tanquam primò definitivum: quia sicut esse prius est, quam cognosci; ita & esse positivum prius erit quam cognosci seu affirmari, & licet apud Aristotelem ponere supponit in ordine Logico pro affirmare, Nego tamen, quòd ponere in or-

dine Metaphysico supponat pro affirmare. Et sicut potio physica quæ est collocatio & situatio non est idem quod affirmatio; ita nec positio Metaphysica erit affirmatio. querere ergo restabit, quid sit illud positivum ad quod sequitur affirmare. Immeritò etiã censet, quod positivum non ducat in cognitionem negativi sibi oppositi, si noscatur adæquatè illud positivum; omne enim positivum in conceptu suo adæquato, dicit negationem negationis sui. Vide dicta supra, ubi assumptimus in omni positivo fundari negationes eorum, quod non est ipsum positivum, consequenter ducet in negationis cognitionem.

Quid autem in Nostri principiis sit positivum esse, dictum sub initium Metaphysicæ: Quòd sit esse ipsius esse. Quod ipsum sic breviter præter inibi dicta declarari potest. A significatione magis vulgari semper desumenda est proportio ad significationem magis difficilem: quia sicut argumentatio debet esse à notioribus ad ignotiora; ita & explicatio; & quia hi ipsi qui imposuerunt nomina, transferebant ipsa ad scientias, transferebant illa quantum proportio patiebatur. Hinc illorum insistendo vestigiis in explicanda objectiva significata ratione istorum nominum, attendendum est ad proportionem significati manifesti. Porro nomine positionis vulgariter venit adlatio, collocatio, appositio alicujus entis, & ejus quod esse habet; hinc etiã positivitas in ente erit, ut ita dicam collatio, & adlatio esse: Quia verò ipsum ens est etiã esse, hinc illa formalitas, quæ ex modo nostro concipiendi adfert, & apponit esse, ipsi esse, dicitur positivitas entis. Et hic est sensus illius definitionis Entis positivi, quòd sit Esse ipsius esse, adeoque appositio esse ad esse. Accipitur autem hic esse non pro existentia, nec pro existentia, sed pro formalitate, quæ sit utrique communis.

DOCET 2. *Aliud est querere. An detur aliqua veritas distincta ab omni ente existente? & aliud est querere. An detur aliqua veritas negativa distincta ab omni veritate positiva.* Primum affirmandum est: quia dantur aliqua veritates ab æterno non identificatæ cum Deo veluti complementa divinæ scientiæ, & volitionis liberæ, de secunda autem sic discurrit. Debet dari aliquid quod secundum ultimam sui differentiam sit merè negativum: Rationem dat. Nam creatura non potest differre à Deo per aliquod prædicatum, quòd secundum suum verum & proprium conceptum sit directè affirmabile. quod ipsum probatur, quia tale prædicatum, vel est participatio divinæ perfectionis, vel non: Si primum. Ergo non potest esse distinctivum creaturæ à Deo: omnis enim participatio alicujus est fundamentum similitudinis, & convenientiæ, non autem puræ dissimilitudinis & differentiæ. Si secundum. Ergo creatura habe-

bit hoc prædicatum à se, ac proinde erit aliquid positivum, & directè affirmabile à creatura quod non sit à Deo, neque per Dei participati-

nem. *Hæc doctrina*

NON SATISFACIT 1. quia attendendo ad hanc quæstionem. An detur aliqua veritas negativa distincta ab omni veritate positiva in hoc sensu, an scilicet possit esse negatio non importans ullo modo ullum esse, sic proposita quæstio, nullam habet difficultatem: quia negatio est negatio esse. Sicut ergo negatio non potest esse, sine se; ita nec potest esse, quin importet aliquomodo esse illud scilicet quod negat. Sed si ponatur quæstio hoc sensu: An scilicet sit aliqua veritas negativa, quæ posita, non sit necesse formare veritatem positivam, in hoc sensu affirmandum est posse talem veritatem reperiri. Ratio: quia de facto quando dico, Nihil est non ens, non affirmo ullam positivam veritatem: quia affirmo non ens, quod non est positivum. Et sicut quando dico, est negatio caloris, non affirmo positivè frigus, sed nego aliquid positivum; ita & in præsentia: arctareque potentiam intellectivam, ut non ens aliter noscere non possit, nisi in positivo, est arbitrarium, repugnantiaque in hoc nulla ostendi potest. Si autem dicatur propositio sit iste sensus. An negationes quæ actu sunt nemine cogitante in existentibus subjecto omnes fundentur in aliquo positivo, in isto sensu est vera propositio: quia v. g. negatio brutalitatis, quæ est in Petro, fundatur in esse Petri, & unumquodque ens, negans negationem sui, facit hoc ratione alicujus positivi; cum hoc tamen stat, ut dentur aliqua negationes veræ non fundatæ in ullo ente positivo, quales sunt negationes aliorum possibilium entium spectatæ in se, & ut sunt objectum Dei necessario illa nolentis: Nam spectatæ in Petro v. g. existentæ, fundantur in aliquo positivo.

NON SATISFACIT 2. In quantum dicit, quòd detur aliquid, quòd secundum ultimam suam differentiam est quid negativum merè: Nam vel procedit Quæstio de ente positivo. Et sic falsum est ens positivum ultimò compleri negatione: hoc ipso enim non esset positivum. Si autem sit res de ente negativo, de hoc, non potest esse dubium: hoc ipso enim non esset ens negativum, si compleretur positivitate. Sed hæc doctrina non præsterneret viam ad docendum, quòd creatura à Deo differat per aliquid negativum.

NON SATISFACIT 3. Quia quamvis participatio univoca posset fortè dici quòd non sit ratio differendi, non tamen participatio Analogæ, quæ hoc ipso, quia Analogæ est, importat definitivè etiã differentiam. Quòd si illa participatio est Analogæ, cur censeatur illa participatio esse quid positivum, adhuc creatura à Deo differet per aliquid positivum. Quanquam etiã participatio univoca posset defendi, quòd sit ra-

R. F.
THE M
ZIANOV
Tom A
D. V

fit ratio differendi: hoc ipso enim quia participatio est & non identitas, potest esse ratio differendi, & ex hoc ipso quod dicat similitudinem, importat differentiam; quia importat esse ad aliud, licet cum aliqua convenientia & revocatione ad idem. Addo, fore tunc univocationem quoad prædicata non autem in formalitate participantis & participari. Confir. Probando quod creatura non differat ultimò à Deo per aliquid negativum. Tum quia. Ens à se vel est aliquid positivum, vel aliquid negativum; si positivum inferam ex puritate rationis. Si Ens à se, secundum ultimam suam rationem, quâ in genere Entis à se, differt à creatura, est ratio positiva. Ergo & Ens ab alio secundum ultimam suam rationem, quâ differt à Deo erit Ens positivum. Si autem Ens à se est negativum, Ergo creatura, seu Ens ab alio erit ratio positiva, quia hæc duo sunt contradictoria consequenter. Tum quia, creatura secundum ultimam suam differentiam, est quid productum; nam si productum non est, creatura non est, si est quid productum, Ergo positivum. Tum quia, potentia creativa secundum ultimam suam rationem est quid positivum, unde etiam omnipotentia Dei refertur inter perfectiones Dei positivas, infertque vim influendi esse in quodcumque aliud à se, esse distinctum, vis autem illa influendi est quid positivum. Ergo & esse creaturam secundum ultimam suam rationem erit aliquid positivum, sicut enim non esset in Petro vis generandi univocum, si filius non esset secundum ultimam suam rationem similis in substantia, ita nec esset vis influendi esse, si illud in quod influitur, non esset secundum ultimam suam rationem esse, adeoque aliquid positivum. Quæ omnia in hoc fundantur, quod Potentiæ specificentur à suis Terminis.

Continuatur Intentum.

Restituenda hic sunt in primis Argumenta, quæ sibi opposuit Pallavicinus probantia Creaturam non per aliquid negativum à Deo differre, 1. ARGUMENTUM est. Creatura ut Creatura est, differt à Deo, sed creatura ut creatura est, est participatio Dei. Ergo quatenus est participatio Dei, differt à Deo.

RESPONDET Pallavicinus. Quod creatura ut creatura est, non secundum omnes gradus differt à Deo, sed secundum ultimum gradum, & hic non est participatio Dei. Dicitque participationem importare duo. Primum habere aliquid alterius. Secundum, non habere totum illius. Primum est prædicatum commune creaturæ & Deo, & est positivum. Secundum est proprium creaturæ, & est negativum, utpote, quod verificaretur de ipsa creatura, etiam si nihil esset.

CONTRA est. Tum quia. Nego hoc ipsum quod creatura secundum ultimam rationem non

fit participatio Dei, cum hæc participatio sit in duobus sita, in communicatione perfectionis, quæ eminenter seclusa imperfectione est in Deo, & insuper sita est in eo, quod illa ipsa perfectio in genere causæ efficientis pendeat à Deo, quod convenit creaturæ, etiam secundum ultimam differentiam, & cum creatura ut creatura est, secundum ultimam differentiam, debeat dicere rationem creaturæ; hoc ipso debet dicere rationem entis ab alio, ens autem ab alio non est negatio. Tum quia. Hoc quod est non habere totum Dei Concedo quod sit negativum. Sed Nego in hoc stare ultimam differentiam creaturæ à Deo. Tum quia. Hoc prædicatum, quod est non habere totum id, quod habet Deus, non apparet quæ magis convenire possit creaturæ, etiam si nihil sit, quàm alia prædicata etiam positiva, modo illa sint æternæ veritatis; Nam etiam Petro non existente, verum est dicere illum esse animal rationale, hoc enim deponit natura propositionum æternæ veritatis, quanquam creatura ut creatura est, etiam secundum ultimam differentiam spectata, non est nihil, hoc ipso enim non esset creatura, sed nihil. Ergo et secundum ultimam differentiam spectatæ, non debent convenire prædicata convenientia nihilo; præcipue cum conditio rei secundum ultima prædicata attendatur.

2. ARGUMENTUM. De ratione effectus est ut distinguatur à causa, sed esse effectum est aliquid positivum. Ergo creatura quatenus distinguitur à Deo, dicit aliquid positivum.

RESPONDET idem. Quod esse effectum non sit aliquid positivum supra ea prædicata quæ communia non effectui.

CONTRA. Tum quia. Si esse effectum non est aliquid positivum supra prædicata quæ sunt communia non effectui. Ergo effectus in eo in quo efficitur, & in quo formalissime est ratio effectus, erit aliquid negativum, negationesque erunt quæ efficiuntur; illæ que primo terminabunt actiones effectivas. Tum quia in Divinis ratio productionis Filii non stat in negatione. Ergo multò magis productiones creaturæ, quæ ipsas etiam essentias attingunt. Tum quia. Cum secundum rationes ultimas conditio rei spectetur, effectus erit non effectus: uterque enim negationibus stabit quoad ultimum complementum.

3. ARGUMENTUM. Id quod ego experior in rebus creatis est dissimile Deo, sed id quod ego experior est prædicatum positivum. Ergo

RESPONDET idem. Quod experior per experientiam positivam non est dissimile Deo licet id sit dissimile, quod experior per experientiam negativam. Experior enim perfectiones positivæ, in quibus creatura est similis Deo, experior tamen me non invenire multas alias, & in hoc est dissimilis.

CONTRA est. Tum quia Concedo quod in
(E) 4 crea

LOD
vs Ki
e. Z.

creatura dentur negationes perfectionis. Sed nego, quod illæ solæ ultimò faciant differre. Cum hoc ipso: quia homo coloratus est, differat etiam à Deo. Tum quia. Si nomine ultimæ differentiæ intelligatur differentiarum cumulus ultra quas non datur alius, sic indubiè differentia ultima stat in negationibus quæ fundantur in positivo, & ipsæ nihil aliud fundant. Sed hoc non convincit intentum. Nam ultimò à nobis etiam Deus differt aliquo negativo: Nam etiam in Deo negationes fundantur in positivo, & ipsæ nihil aliud fundant. Si autem nomine ultimæ differentiæ veniat prædicatum in ordine ad distingui primò intentum, sic est aliquid positivum. Neque enim natura intendit ut Petrus non sit v. g. Deus; sed intendit Petreitatem quæ est quid positivum, ad quod sequitur non esse Dei. Tum quia. Cur id quod experior ut ille dicit experientia positiva non poterit ex dictis sufficienter distinguere creaturam à Deo.

DOCET 3. *In creatura multum includi de nihilo indistincto ab entitate illius reali;* Deus tamen dicitur Auctor nostræ entitatis, & non nostri nihili: quia licet Deus non creasset nos adhuc haberemus de nihilo, quantum habemus in præsentia; licet non identificatum ut nunc nostræ existentiæ. Unde nostrum nihil, licet sit physice & materialiter à Deo, non est metaphysice & formaliter. *Hæc Doctrina*

NON SATISFACIT. Tum quia. De facto habetur physicum nostrum nihil de hoc ipso quæro. An sit à Deo. An Deus illius causa &c. Tum quia Metaphysicum nostrum nihil vel convenit nobis independenter à nostris conceptibus, vel dependenter. Si dependenter. Ergo per nostros conceptus solum excusabitur Deus ne sit causa peccati: Si independenter. Ergo dabitur etiam Metaphysicum Universale, acceptio v. g. Animalis ut sic, & tamen nemine cogitante. Tum quia: Sicut ante existentiam non debent nobis convenire alia prædicata positiva etiam sub conditione à prædicatis quæ conveniunt in statu existentia, sic nec convenire nobis alia nihil.

DOCET 4. *Posse aliquid constitui in ultima sua differentia per privationem tali pacto,* ut nihil habeat entitatis & perfectionis, quod non sit in suo positivo, sed solum distinguatur ab eo per defectum & hoc est proprium mali simpliciter, ita ut illud malum non habeat proprie Auctorem, ita ut nec creaturæ imputetur, tanquam causæ efficienti, sed tanquam deficienti: ex nostra enim tantum imperfectione provenit, ut concursus Dei qui esset aptus & paratus ad speciem, bonam determinetur ad aliam speciem, quæ secundum ultimam differentiam est merè defectuosa & mala. Inferiusque ulterius addit, quod peccatum secundum suam ultimam differentiam nihil addat perfectionis super præ, dicatum genericum, aliàs ita Deus esset ejus causa, ut clau-

ditionis & actionum monstrorum. *Hæc Doctrina.*

NON SATISFACIT. Tum quia: Videtur impossibile ut aliquid non habeat plus entitatis, quam suum oppositum, & tamen distinguatur ab eo per aliquid negativum: Nam illud negativum necessario debet præsupponere aliquid positivum in quo fundetur, & quidem proportionatum fundandæ illi negationi. Nam v. g. positivum Leonis est proportionatum ad fundandam negationem rationalis, cum tamen positivum Petri non sit proportionatum ad hanc negationem. Tum quia: Videtur sentire, quod cum eodem auxilio possim amare, & odire Deum, cujus oppositum alibi ostenditur. Tum quia: Quamvis peccatum esset quid positivum non æque Deus ad illud concurreret, atque ad claudicationem, quia concurreret ad peccatum cum displicentia.

DOCET 5. *Quod nil sit prædicati positivi in peccato secundum ultimam differentiam:* quia consistit in hoc, quod non magis ametur Deus, quam bonitas creata. *Hæc Doctrina*

NON SATISFACIT. Tum quia, non est ratio quod malitia sistat in illo negativo, quod non magis ametur &c. & non in positivo odio illius boni. Tum quia: Conc. nos habere vires ut amemus Deum plus quam illi contraria. Sed quæro cur peccatum odii non stet in positiva aversione ab illo bono, sed in negatione. Tum quia: Conc. quod prima regula exigat præter omnibus, sed etiam exigat non postponi: cur ergo in positivo illo postponi non stabit ratio peccati? *Plura de Negationibus in Metaphysica.*

DIFFICULTAS II.

An sit possibilis pura Omissio Libera?

DOCENDUM est. *Non esse possibilem puram Omissionem liberam.*

PROBATUR I. Impossibile est transire à Contradictorio ad Contradictorium sine sufficienti mutatione, quod principium in Tr. de Distinctionibus stabilivimus. Ergo etiam impossibile est transire à non esse puræ Omissionis liberæ ad esse puræ Omissionis liberæ sine sufficienti mutatione. Sed hæc nulla ostendi potest, nisi ponatur actus positivus directè vel indirectè volens omissionem. Ergo nec potest dari pura omissio libera, & sicut si non potest ostendi per quid transeat à non esse uniti ad esse uniti; impossibile esset unio: ita si non est per quid transeat à non esse puræ omissionis liberæ ad esse puræ omissionis liberæ, erit impossibile pura omissio libera: semper enim manebit in ipso puræ omissionis liberæ, cum non habeatur per quod ab illo non esse exire possit: Idem enim manens idem semper facit idem. Subsumpti Ant. probatur, quia potest præcessisse præceptum affirmativum, vel hic & nunc poni potest item esse advertentia ad obligationem &c. similis neque

neque tamen adhuc tunc poni pura omisso, nec quidquam subsequens potest ostendi quod sit sufficiens mutatio. Ergo.

RESPONDET I. Arriaga d. 8. Anim. n. 120. & Oviedo Cont. 10. Anim. Libertatem in actu primo, adeoque pro illo signo antecedenti non dicere actum, nec dicere negationem actus; quia pro illo signo ex hoc ipso; quia est libertas faciendi vel non faciendi est indifferentia ut cōtingatur cum actu, & negatione actus; jam autem in sequenti signo dicitur jam negatio actus.

CONTRA est. Impossibile est transire à Contradictorio ad Contradictorium sine sufficienti mutatione. Ergo neque ab esse negationis puræ omissionis liberæ ad esse puræ omissionis liberæ per quid ergo transitur ad illam puram omissionem liberam? quid enim habetur in illo subsequenti constitutivū puræ omissionis liberæ? quod non habebatur quando peragebatur deliberatio. Et certè quando à non esse actus transitur ad esse actus, video bene mutationem quæ est novitas ipsius entitatis in actu positæ, sed quid illic est, quando ponitur, ut tu dicis, pura omisso libera, vel negatio actus, aut id quod non erat in illo genere antequam esset illa negatio actus; eratque jam v. g. advertentia obligatioque agendi.

RESPONDEBIS 2. cum Arriaga. Pro prioritate antequam se Deus determinet ad producendum, vel non producendum, datur præcilio ab existentia Petri, & tamen non datur carentia, aliàs non posset in eo instanti Petrus existere pro posteriori verò, quando Deus se determinat non producere Petrum, datur jam verè & realiter carentia illius; ita & in præsentia.

CONTRA. Quia in primis non raro in similibus monet Arriaga non esse necesse in formantibus Instantiis recurrere ad actus Dei liberos, creaturæ inexplicabiles; in Communibus autem principiis in hoc transitu erit mutatio, ratione diversorum connotatorum: nam in signo indifferentiæ, est connotatum ipsa creaturæ existentia, quæ potest esse & non esse, in secundo autem est creaturæ non existentia determinata, ut scilicet non sit. Posset etiam recurri ad æquivalentiam in actibus liberis Dei à nobis admittam; ita ut in posteriori, & pro posteriori signo datur æquivalentia ad hunc actum, Nolo creare, in priori autem signo erat æquivalentia ad hunc actum Nondum me determino. Denique hoc quod est in aliquo signo rationis Deum considerare, ut indifferentem ad producendum vel non producendum, & cum determinari, pender non nisi à nostris conceptibus & signis. Unde etiam sufficit ostendere mutationes, non nisi ratione variarum conceptibilitatū petibiles, quòd autem transeat à non esse omissionis puræ, ad esse omissionis puræ, non debet esse aliquid pendens à nostris conceptibus, transactioque antecedentis deliberationis est quidem sufficiens ad

formaliter subsequentis, sed quomodo est sufficiens ad ipsam negationem actus, & esse puræ omissionis liberæ? cum nihil sit, in illo subsequenti, quod non fuerit in præcedenti, & tamen in præcedenti, nondum erat pura omisso libera.

RESPONDETUR 3. Quòd illa Omisso pura libera à non esse puræ omissionis liberæ ad esse puræ omissionis liberæ, transeat seipsa, licet istud transire sit abulivum: negationes enim non dicuntur propriè transire ad esse, sed simpliciter non esse.

CONTRA est. Tum quia. In principiis Modalium non potest legitime responderi quòd materia & forma transeat à non esse uniti ad esse uniti seipsis. Ergo etiam in præsentia non poterunt iidem modales Responsum hanc adhibere. Tum quia. Impossibile est à non esse seipso transeuntis, ad esse seipso transeuntis transire sine sufficienti mutatione: & sicut à non esse relati in ratione similis, ad esse relati in ratione similis, non transitur se ipso, sed illius transitus assignanda mutatio: ita & in præsentia. Tum quia. Discurrendo de formalitatibus positivis quando intelliguntur pullulare ostenditur mutatio ratione termini, rationis fundandi in relatione &c. & illud quod pullulat, ex modo nostro concipiendi, est aliqua formalitas positiva, hoc est, ipsamet relatio, hic autem nec ipsa pura omisso est aliqua formalitas positiva, nec ostenditur ulla mutatio, ut intelligatur illa pullulare. Si autem agatur de formalitatibus negativis, qualis est formalitas tenebræ, & ad hanc datur mutatio indispensabiliter illius illativa, hoc est, abcessus lucis, quid autem in præsentia simile ostenditur?

PROBATUR 2. Quia illa pura omisso libera & esset pura omisso libera, ut supponitur, & non esset, ut probatur: quia quando erat sola consultatio de ponenda, vel non ponenda omissione, erat tunc negatio actus, neque tamen illa negatio erat pura omisso libera. Ergo neque etiam postea est pura omisso libera: quia pro illo posteriori in ratione omissionis seu carentiæ actus non plus habet, quàm habuerit pro illo priori, sed pro illo priori non erat pura omisso libera, Ergo neque pro hoc posteriori: idem enim manens idem est idem, & facit semper idem. Quod autem quando erat consultatio nondum fuerit pura omisso libera, probatur, quia de quo deliberatur nondum est; consultatio enim sequentium est, & deliberatio ita se habet sicut præmissæ in syllogismo, sed quando sunt præmissæ nondum est Conclusio. Ergo & in præsentia.

RESPONDEBIS I. Propriori illo, erat sola indifferentia ad esse & non esse omissionis liberæ, pro posteriori autem est determinatio ad esse omissionis liberæ.

CONTRA est præter dicta. Pro illo priori, pro quo erat indifferentia, erat verè tunc carentia, seu negatio actus, & tamen illa carentia non erat

LOD
vs. Ki
e. Z.
II

erat omiffio pura libera. Ergo nec postea est: quia ut repetitò dictum, nihil plus tunc ostenditur, quàm id quod fuit dum erat indifferentia. Tum quia, & esset tunc determinatio ad esse omissionis liberae ut supponitur, & non esset: quia nihil plus tunc habetur quàm habebatur, quando erat indifferentia. Tum quia, de hoc ipso quaeritur, quid sit illa determinatio.

RESPONDEBIS 2. Sufficere quòd puram omissionem libetam praecedat eonsultatio & deliberatio.

CONTRA. Tum quia, prius probandum esset haberi tunc omissionem liberam non supponi: quomodo enim praecessit deliberatio de omissione libera, si illa non datur. Tum quia. Coexistentia carentiae actus cum illa deliberatione non reddit illam carentiam, puram omissionem. Ergo neque antecedentia reddet illam carentiam puram omissionem liberam. Tum quia. Possent esse illa antecedentia, & nondum esse omiffio, sed sequi positio actus. Ergo illa antecedentia praecise non est sufficiens mutatio.

RESPONDEBIS 3. Hanc ipsam carentiam eandem numero reddi pro posteriori signo liberam.

CONTRA. Tum quia, multi ex oppositis censent, quòd necessarium non possit transferri in liberum. Tum quia illa carentia actus, quae coëxistit deliberationi, non erat à voluntate orta: habetque se, sicut & aliae carentiae entium, quomodo ergo transit nunc, ut dicatur à voluntate orta, si autem non est à voluntate orta, quomodo est libera. Tum quia. De hoc ipso quaeritur, per quid illa negatio transeat ad rationem liberae, si coexistendo illi consultationi, non erat libera.

PROBATUR 3. Ratione S. Th. hic q. 71. ar. 5. in Corp. quae etiam utuntur alii. Verba S. Th. sunt. *Si in peccato omissionis intelligantur etiam cause, vel occasiones omittendi, sic necesse est in peccato omissionis aliquem actum esse.* Unde sic arguitur, quia & esset omiffio pura libera ut supponitur, & non esset omiffio pura libera: Si enim esset, vel fieret ex aliquo motivo, vel ex nullo. Si ex nullo. Ergo non esset voluntaria adeoque neque libera: quia liberum supponit voluntarium, quod autem non esset voluntaria, inde probatur: quia si ex nullo esset motivo, non esset etiam ex motivo amoris boni tanquam finis, & tamen nullus est actus voluntatis, qui suo modo non respiciat bonum. Si autem illa pura omiffio est ex aliquo motivo. Ergo non est pura omiffio libera: quia hoc quod est in peccato omissionis etiam causa omissionis, ut ait S. Th. importat actum, qui etiam addit, oportet quòd ista causa, in quantum est voluntaria, habeat aliquem actum ad minus interioriorem voluntatis. Deinde, quia ut urgebat Lugo, carentia & omiffio actus, est de se indifferens, ut sit propter hoc vel illud motivum. Ergo quòd sit propter hoc

potius, includit aliquid positivum, & aliquid in actu secundo, quod non erat dum erat in actu primo, ut ex hoc vel illo motivo fieret. Deinde quòd moveri aliquo motivo importet aliquem actum positivum, sic probari potest. Moveri voluntatem aliquo motivo, non est illi proponi motivum: quia proponi spectat ad intellectum, moveri autem ad voluntatem. Tunc ulterius quaero. Moveri hoc voluntatis in pura omissione per hoc motivum, vel est distinctum ab eo, quod est non moveri, vel indistinctum. Si indistinctum. Ergo quod movet, non movet: moveri enim & non moveri non distinguuntur, si autem moveri illud est quid distinctum. Ergo est aliquid positivum, quod ipsum probatur: Hoc moveri est condistinctum ab ipso non moveri. Ergo si non moveri formaliter in voluntate, est quid negativum, moveri formaliter, quod illi opponitur, erit positivum quid: negatio enim non alio tollitur nisi positivo.

Hic ipse medius terminus sic aliter proponitur. Ponamus voluntatem esse potentiam distinctam realiter ab intellectu, ponamus illam coexistere, cum est advertentia ad praceptum positivum, estque mera carentia actus. Ponamus rursus immediatè post annihilari voluntatem, quaero, vel erit tunc omiffio pura libera pro illo consequenti, vel non erit: Si erit. Ergo erit voluntarium liberum sine voluntate, si non erit: Ergo nec in suppositione in qua discurrimus erit omiffio pura libera: quia tam se voluntas non movet ad illam omissionem, mortuoque modo se habet, ac si non esset in rerum natura. Ergo sicut si non esset in rerum natura voluntas non esset omiffio pura libera; ita nec erit in praesenti causa.

Resolvuntur haec omnia in hunc medium terminum, si hoc quod est moveri voluntatem hoc motivo ad puram omissionem non sit aliquid positivum, inexplicabile erit, quid sit illam moveri hoc motivo.

RESPONDENT 1. Aliqui. Illud moveri non esse quid positivum, esse tamen aliquid privativum.

CONTRA. De hoc ipso quaeritur, quid sit voluntatem moveri illo motivo privativè: ita tamen ut illud moveri sit condistinctum ab ipso non moveri, & quidem non ratione propositionis objecti, sed ratione ipsius voluntatis.

RESPONDET 2. Arriaga cit. Motivum aliquid voluntatem movere, sive directè sive indirectè, etiam si illud motivum nullo modo tangatur actu aliquo voluntatis, modò praecise illa omiffio sit dependenter à cognitione de illo motivo. Quod ipsum illustrat Instantis.

CONTRA est. Tum quia. de hoc ipso quaeritur, si non ostendatur aliquid positivum, quomodo pura illa omiffio dici poterit fieri dependenter à cognitione de illo motivo? Tum quia. potest esse propositum illud motivum, & non fieri illa pura omiffio dependenter ab illo motivo. Ergo

Ergo hoc est aliquid aliud, quam mera omiffio. quid autem illud? & sicut quando ad actum Commissionis proponitur motivum, moveri illo voluntatem fierique dependenter actum ab illo motivo, non est simpliciter proponi motivum ab intellectu Ergo & in omiffione idem fiet. Tum quia. Instantia, quas congerit Arriaga omnes concedi possunt: Nam non declarant quomodo voluntas tunc dicatur moveri illis motivis in pura omiffione, tali modo, qui distinguatur à non moveri aliis motivis.

Dicit Oviedo. Omiffionem habere motivum extrinsecum immediatum & quasi interpretativum & virtuale, ex eo præcisè, quod dependeat à cognitione illud proponente; eò quod cognitio alliciat ad omiffionem proponendo obiectum & influendo in voluntatem, quasi per applicationem motivi, & si motivum non conducet, non esset applicandum, superfluaque. esset illa cognitio. Dicit item. illud motivum, esse immediatum: quia motivum nullo modo insit in omiffionem, sed per suammet entitatem media cognitione applicatam. poteritque per Oviedo illud motivum appellari interpretativum: quia non est intrinsecum omiffioni, sed interpretatur quasi esset intrinsecum, eò quod ab illo motivo procedat. Potest insuper per eundem, hoc motivum appellari virtuale: quia omiffio, quæ formaliter intrinsecum motivum non habet, quasi virtute, & æquivalenter illud intrinsecum continet, ex eò quod ab illo procedat.

CONTRA hæc omnia dicta. Restituuntur Interrogationes. Quomodo omiffio pura, habeat hoc, quod dependentet fiat à cognitione? quid sit illam procedere ex hoc motivo: dicique potest, & non esse, ut supponitur, otiosam illam applicationem, & esse otiosam: quia non apparet quid moveat, & quid plus habeatur, dum unum motivum habet, quod non habetur, dum non movet aliud. Concedi potest, quod si esset illud motivum omiffionis puræ, esset immediatum. Sed restat quærere. quomodo respectu omiffionis, habeat rationem motivi? restatque quærere. unde interpretari possimus, quod ab illo motivo procedat omiffio? & non procedat ab alio; idemque quærere restat, de illo motivo virtuali.

RESPONDET 3. Perez. Duplex est finis & motivum. alter est possessus jam, veluti Deus possidet suam Divinitatem, & nos gaudium de nostra existentia ante omne exercitium libertatis. Alter est finis nondum possessus, sed possibilis possideri. Fines jam possessi nunquam sunt contrarii; non enim simul existerent, neque possiderentur si contrarii essent. inter fines autem possibiles possideri, multi possunt esse inter se contrarii. Ex quo ulterius sic arguit. Omittens non necessariò habet pro motivo actu movente & attrahente finem possibilem possideri: sed

habet pro motivo amato, finem jam possessum, ante exercitium libertatis, & finis jam possessus, functusque jam munere allicientis, non movet nec allicit de novo, sed movit, & facit potius quiescere. Fines autem possibiles contrarii possunt quidem movere ad sui procuracionem; ita tamen ut simul non moveant. Si autem simul aliquid in voluntate possunt facere, solum est posse facere quiescere ipsam: nam impediendo se faciunt, ut non nisi quiescat voluntas.

Unde jam per ipsum negari debet Argumento quod pura omiffio quærat finem, & dicendum puram omiffionem non habere motivum movens ad se tanquam finem nondum possessum, sed habere motivum jam possessum, & acquisitum: pura enim omiffio est dispositio quædam animi nihil ultra volentis, sed quiescentis in bonis possessis.

CONTRA est. Tum quia. Ex vi adlatorum, & erit illa omiffio pura libera, & non erit pura libera; erit ut supponitur, non erit autem ut probatur. quia dum debebat poni omiffio, nondum ponebantur motiva; supponuntur enim poni, non nisi, post possessam omiffionem. Ergo in illo priori non erat libera: procedebat enim sine motivis voluntatis non etiam est libera, quando jam facta est: quia indifferentia. accedens post rem, non facit rem liberam. Tum quia quamvis hic discursus ostendat ex motivis contrariis non posse sequi puram omiffionem, sed non ostendit, quomodo si unum sit, vel si sint plura motiva compossibilia, quomodo inquæ, sequatur ex illis pura omiffio? in quo tamen est difficultas. Tum quia. vel possum ponere novam omiffionem liberam quæ antea non fuit, adeoque ad illam habere motivum unum, vel plura compossibilia; vel non possum ponere novam. Si non possum ponere novam omiffionem liberam. Ergo omnes sunt præhabita, habentque se ita, sicut se habet in infantibus omiffio amoris Dei, quæ non est certè omiffio pura libera, sed necessaria. Si autem possum habere puram omiffionem novam liberam, quomodo ex principiis Perez omiffio pura libera est finis possessus?

DIFFICULTAS III.

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR I. Ratio petita ex varia habitudine Dei ad Omiffionem. Potest Deus ponere præceptum de suspensione omnis actus; quæ enim in hoc implicata? Ergo dabitur pura omiffio libera.

RESPONDETUR. Esse impossibile tale præceptum, quod velit impleri rem impossibilem; impossibilis autem est pura omiffio libera ad eum modum, quo impossibile est præceptum, ut homo vestiat se hirco-cervo.

INSTABIS I. Ponatur voluntas indifferens ad auditionem & non auditionem sacri, suspendat Deus

LOD
vski
e. Z.
T

Deus suum concursum: illo casu voluntas est indifferens ad utrumque. Ergo libera. & tamen utraque illa volitio, est sine omni actu: Supponimus enim Deum, ad nullum actum velle concurrere.

RESPONDETUR. Non esse illic indifferentiam, quæ salvet libertatem: salvans enim libertatem, debet esse cum posse agere, & non agere: non potest autem supponi ipsum posse agere, si non habeatur preparatus concursus Divinus exhibendus. consequenter erit tunc ommissio pura, sed non libera: quia non habet posse agere & non agere. Quod posse innectit sibi exhibitionem concursus Divini. eritque illic indifferentia propositionis objecti, non indifferentia voluntatis.

INSTABIS 2. Amet homo Deum liberè, eò quòd habeat paratum etiam concursum ad actum oppositum. Demus ulterius Deum negare concursum ad omnem alium actum, tunc ille amor Dei manebit liber. Ergo quia tunc potuit purè ommittere liberè: supponitur enim negari concursus ad aliquem positivum actum. Ergo ulterius possibilis erit pura ommissio libera.

RESPONDETUR. Amor ille erit liber. si quidem supponitur ad omnem quidem alium actum negari concursum Divinum, sed non negari concursum ad actum oppositum amoris: actus autem oppositus amoris est odisse, vel dicere, Nolo amorem, vel Omitto amorem, consequenter non erit ille amor liber titulo alicujus puræ ommissionis liberæ tunc ponenda.

INSTABIS 3. Ponatur actus liber amoris, conservet illum Deus, & dum conservat, faciat Deus decretum de non dando concursu ad oppositum amoris: ille amor erit liber, adeoque libera illius ommissio, & tamen illa ommissio erit pura: quia supponitur Deum ad nullum alium actum velle concurrere.

RESPONDETUR. In nostris principiis de libertate: illum actum fore non nisi ampliativè liberum, ratione elicitionis in differentia in qua nondum erat decretum de non concurrendo ad actum oppositum amoris v. g. ad actum ommissionis; sed non erit formaliter & proximè liber, dum jam conservatur: quia supponitur negari concursus ad oppositum, v. g. ad ommissionem, quæ tamen ex dictis, non potest perfici, nisi per actum.

OBJICITUR 2. Ex conditione Libertatis Voluntatis. De ratione Libertatis est posse amare & non amare, odisse & non odisse, & pro Axiomate habetur, quando situm est in potestate agere, situm est etiã non agere, sed hoc, quod est non amare, non odisse, non requirit actum positivum. Ergo potest dari ommissio pura libera.

RESPONDETUR. Non amare & non odisse, sine negativè, ut debent, accipiuntur, esse quidè in potestate libertatis create, sed ex adjuncto: quia scilicet potest dicere voluntas: Volo non habere

amorem, sed non æquè primò ac per se, sicut per se potest poni Amor vel odium, Sicut & materia non æquè primò respicit privationem ac formam. Deinde dici potest, quòd hoc quod est non amare, sit pura negatio, si sit non amare non liberum, scècùs si sit non amare liberum, propter dicta.

INSTABIS 1. Si non detur pura ommissio libera, confundetur libertas Contrarietatis, & Contradictionis: Nam etiam non esse amoris, erit quid positivum.

RESPONDETUR. Non confundetur Libertas Contradictionis & Contrarietatis, Nam libertas Contrarietatis erit ad amorem & odium, libertas autem Contradictionis, erit ad amorem, & non amorem. qui non amor erit quidem ex modo significandi quid negativum, inferetque negationem amoris non inferendo odium, quòd inferet aliquid positivum, non faciet tamen id sine ullo actu. Atque ita odium inferet positivè aliquid positivum, salvabitque libertatem contrarietatis. Non amor autem inferet positivè aliquid negativè ratione cujus illata salvabitur libertas contradictionis. Infer. Amorem & Odium contrariè sibi opponi, suntque extrema salvantia libertatem contrarietatis. Amor autè & non amor contradictoriè sibi opponuntur, non quidem si spectetur Ly Non amor penes actum, nam actus amandi & actus non amandi non opponuntur contradictoriè, sed in quantum actus ipse importat ipsum non amare, quòd non amare contradictoriè opponitur ipsi amare.

INSTABIS 2. Quando aliquis amat ut 4. quòd non amet ut 5. est illi liberum: nam ille 5. gradus est compossibilis cum illis 4. non dicit enim positivè, Nolo 5. gradum. Ergo tunc illum omittit liberè, & per puram ommissionem.

RESPONDETUR. Si non habeatur talis propositio objecti quæ impetret ponendū esse majorem amorem, v. g. amorè ut 5. necessariò habetur amor non nisi ut 4. intensus, ommissioque 5. gradus erit quidem pura sed non libera ob defectum principii requisiti. hoc est, requisita propositio objecti. si autem habeatur talis propositio objecti, quæ possit impetrare amorem, ut 5. ommissio quidem illius erit libera, sed nego quòd pura, propter dicta.

INSTABIS 3. Tam actus quam negatio actus, est sub dominio voluntatis, & actus non pendet à voluntate mediante alio actu. Ergo nec ommissio pendebit mediante aliquo actu voluntatis: imò sicut ad committendum sufficit cognoscere objectum habere potestatem non agendi, & ponere commissionem, ita ad omittendum liberè sufficit præcognoscere objectum liberè, habere potestatem non agendi & ponere ommissionem.

RESPONDETUR. Esse quidem sub dominio voluntatis, etiam negationem actus, sed modo debito negationi, hoc est, per aliquid positivum negationem inferens; estque hoc, ut dictum

suprà,

suprà, non æque primo per se situm in potestate voluntatis. Cumque possit sufficiens mutatio esse à non esse actus ad esse actus ipsa positiva Commissionis entitas, nõ fiet Commissio mediante alio actu, scilicet omissione. in qua ut transeat ad esse omissionis haberi non potest sufficiens mutatio sine ullo actu; sufficitque cum reliquis prærequisitis habere potestatem omittendi, sed nego dari potestatem omittendi purè. Concedimus item voluntatem esse agens per electionem, & quòd possit consultatio de electione omissionis præcedere. Sed nego posse præcedere consultationem de omissione pura libera: impossibilitatem enim non est præconsultatio. Conceditur ulterius quòd me non ambulare nihil aliud sit, nisi quòd cum habeam potestatem ponendi actum ambulationis, cognoscamque me illam habere, nihilominus non ambulem, eritque tunc omissio pura deambulationis, sed nego quòd erit omissio pura libera, & tamen sine omni actu, idque reflectendo ad dicta suprà.

OBJICITUR 3. Si non esset ommissio pura possibilis, sequeretur debere in intellectu præcedere infinitas deliberationes: si enim intellectus ad hoc, ut constituat voluntatem proximè dispositam ad duas partes Contradictionis, v. g. ad audiendum sacrum, & non audiendum, debet illam constituere expeditam ad aliquid tertium, v. g. ad volendum ludere. quia respectu illius latus, est voluntas libera, debet adhuc constitui libera ad negationem seu omissionem latus, indigebitque propositione alicujus tertii, & sic in infinitum.

RESPONDETUR. Negando quod universali-ter, qui deliberat de positione amoris & omissionis, debeat deliberare de aliquo disparato tertio, sed sufficit dicere positivè, Volo omittere amorem, jamque non dabitur processus in infinitum: quia nec processus ad tertium, fietque hoc tunc per directam omissionem amoris. Si autem velit indirectè omittere amorem, ratione scilicet alius actus, sicut non necessitatur ad illum actum, ita nec necessitabitur ad processum in infinitum.

Continuatur Solutio.

OBJICIT 4. Arriaga & Oviedo, ex Hurtado, supponitque, ut homo amet aliquod objectum propositum, liberè, non est necesse ut habeat cognitionem reflexam, de ipso amore, sed solum de bonitate & malitia objecti. Quo supposito, sic argumentatur. Ille potest tunc liberè cessare ab amore & odio objecti; quia nec bonitas objecti ad amorem, nec malitia ad odium necessitat, sed potest utrumque omittere, non autem per actum reflexum quo velit non amare, aut odio habere: quia secundum suppositum, non cognoscit amorem, neque odium. Ergo potest purè omittere liberè.

RESPONDETUR. Negando ultimam Conclusionem. Concedo ergo, ut homo amet aliquod objectum propositum liberè, non est

necesse ut habeat cognitionem reflexam de ipso amore. Concedo quòd tunc homo possit liberè cessare ab amore vel odio objecti, idque sine reflexione ad amorem vel odium. Sed nego quòd possit cessare purè omissione & tamen liberà, nec hoc probatur, unde & nego posse illum liberè cessare ab amore vel odio objecti, & tamen sine omni actu, nec hoc addit Arriaga, ante consequentiam quam formavit.

Sed quæres, cum homo non habeat cognitionem reflexam de ipso amore vel odio, quomodo liberè per nos cessare poterit ab amore vel odio objecti. Ad hoc dici potest, liberè ita cessabit, Quia dicit voluntas, Nolo circa hoc objectum versari: non dicit Nolo amare, quia non præcessit reflexio de Amore, nec dicit Volo odisse, quia non præcessit cognitio reflexa de odio, poterit autem elici actus, Nolo circa hoc objectum versari, quia ipsa indifferens propositio objecti sufficienter illi præluceat, proportionaturque propositio objecti indifferentis tenens se à parte intellectus, cum actu à parte voluntatis procedente, Nolo circa hoc objectum versari. Quanquam dici etiam possit, quòd quamvis ut homo liberè amet, non sit necesse eum habere cognitionem, reflexam de amore; est tamen necesse eum habere cognitionem directam de amore seu appetibilitate objecti, quomodo enim amabit, non prælucente cognitione de amore, consequenter si velit omittere amorem, poterit omittere per actum positivum, Nolo amare, de quo actu præcessit, non quidem reflexa, directa tamen cognitio.

INSTAT idem. Quando homo vult aliquid impossibile cum amore Dei, non est necesse habere actum Nolo amare, sed sufficit voluntas virtualis non amandi. Ergo in eo casu datur ommissio pura illius reflexæ voluntatis de non amando Deo.

RESPONSUM jam est. illius voluntatis reflexæ de non amando Deo, esse omissionem puram, sed non liberam: quia supponitur non præcessisse ulla præcognitio honestatis reperibilis in ipso met imperio. Cur autem sufficiat voluntas virtualis non amandi; & pura negatio, quæ tamen sit libera, non sufficiat, peti debet ex dictis suprà & ex rationibus pro Conclusionem.

OBJICIT 5. Perez. Voluntati libera non solum est possibilis actus & determinatio libera, perficiens potentiam, & promovens bonum, adferensque augmentum, sed est etiam possibilis actus, & determinatio libera non promotiva boni, nec faciens illius augmentum, sed talis determinatio in nobis pura ommissio est, suspendens omnem actum. Ergo datur pura ommissio libera. Minor probatur, quia si talis determinatio esset actus positivus, jam ille actus nos perficeret, & augeter bonum. Major probatur. Tum quia. Potuit Deus nihil creare contentus solâ possessione suorum bonorum; quo eventû, determinatio illa libera, ad nihil creandû nullum

(F) fecit-

LOD
vski
e. Z.
T

fecisset augmentum, bonorum, neque intra se, neque extra se. Voluntas enim creandi licet non sit perfecta Dei, est tamen perfecta creaturarum. At verò si nihil creasset illa volitio, ne quidem creaturas perficeret, ut est manifestum. Tum quia. Voluntas libera non potest patinecessitatem producendi aliquod bonum, nisi illud bonum sit necessarium ad possessionem finis efficaciter intenti, quæ sola intentio necessitat ad media. ob quam rationem intellectus noster nulli veritati, contingenti, quam non videt existentem, assensum necessarium præbet. Sicut enim finis habet se ad voluntatem; ita prima principia per se nota & visa se habent ad intellectum, necessitatemque voluntati ad media, finis efficaciter intentus, & intellectui veritas visa adfert. Quo posito sic ulterius subsumit. Potest accidere, ut mihi persuadeam, aut saltem imaginem me jam consecutum esse finem propositum, & me non indigere jam ulteriori bono, ut sim beatus, sed tunc potero liberè nullum querere bonum, sed sistere in meipso. Sicut Deus potuit in se sistere, bonum nullum distinctum à se producendo. consequenter per puram omissionem liberam non ponere actum: quia qui liberè eligit aliquem actum positivum, v. g. amorem perfectivum, jam quærit ulterius bonum.

RESPONDETUR 1. Neg. Maj. Prima illius Probatio non convincit: quia quamvis illa determinatio Dei libera nullum fecisset reale physicum augmentum in Deo, obstante formalitate actus puti, fecisset tamen augmentum ex modo nostro concipiendi, quale augmentum facit etiam volitio creandi mundi, unde non haberet tunc Deus omissionem liberam, sed eliceret actum æquivalentem, huic nostro, Nolo quidquam creare.

Secunda probatio non convincit: quia quamvis voluntas libera non patitur necessitatem producendi aliquod bonum non necessarium; tamen non excluditur hic modus ipse nolendi, qui propter rationes adlatas etiam in omissione libera requirit actum. unde non est quidem necessitas nolendi objecti, est tamen necessitas modi nolendi ejus, quo non nisi potest nolle voluntas. hic autem est si nolle sit liberum, actus positivus.

RESPONDETUR 2. Nego Min. Probatio ejus distingui potest. Actus ille auget bonum augmento sibi extrinseco, & transitivè, Nego. auget augmento in transitivè, & quod augmentum est ipsemet ille actus Conc. propositionem. Illustratur. Potest voluntas imperare hunc actum elicendum positivum, Nolo hunc actum elicere, cur non enim? Et si potest ab intellectu proponi: cur non & attingi ab appetitu rationali? Cujus actus erit iste sensus, Nolo ullum actum præter hunc quo dico nihil me volituum in posterum. ita & in presenti idem con-

tingeret. Quare autem non possit voluntas nolle liberè habere augmentum bonorum sine omni actu, id colligitur ex probationibus adlatas.

Ea quæ attinent ad Auctoritates S. Thomæ vel S. Scripturæ, explicari possunt. quòd loquantur de omissione, sed non omissione pura libera. S. autem Thomas, quando interdum dicit posse esse peccatum omissionis sine omni actu, loquitur de actu qui per se & directè velit illam omissionem, cum sufficiat indirectè & in alio illam velle.

QUÆSTIO III.

Positâ Possibilitate puræ Omissionis liberæ, dandæ illa Deo?

AD Complementum & Quæstionis & solutionis Argumenti immediatè propositi ex Perez, discutienda est hæc Hypothetica. Si possibilis esset in Creatis pura ommissio libera, possitne illa poni etiam in Deo? Quam Quæstionem movit Quiros in i. p. d. 67. negatque Deo omissionem liberam, citans pro hac sententia, Suar. Fons. Sal. Ruiz, Salmanticenses.

DICENDUM est. *Si esset possibilis puræ ommissio liberæ, illa etiam in Deo reperiretur.*

PROBATUR 1. Quia quæcunque implicancia ostenditur, quod repugnet Deo puræ ommissio libera, illa militabit, quòd non detur in creatis. Ergo si in creatis illa implicancia, ut supponitur, non convinceret, nec convinceret in Deo. Quod ipsum ulterius in hoc fundatur. Ideo potest creatura omittere: quia positâ objecti propositione, sufficit non movere se voluntatem: & quia voluntas est potentia libera, necesse bonum necessarium de cujus omissione deliberatur, &c. reassumanturque Rationes pro hac omissione in creatis. sed potest esse propositio objecti, Deo, sufficitque si voluntas Divina se non moveat. quòd si potest facere creatâ voluntas, Cur non poterit increata, estque libera voluntas divina, & non necessitata &c. &c. Ergo si potest omittere purè liberè voluntas creatâ, poterit & increata.

PROBATUR 2. Si positâ possibilitate omissionis puræ liberæ, in creatura, non esset illa possibilis in Deo, esset impossibilis vel ex prædicato libertatis. & hoc non: quia & ratio, & fides ponit in Deo libertatem, vel repugnabit ex prædicato puræ omissionis, idque ex eo: quia quòd in Deo est, Deus est, adeoque & puræ ommissio Deus erit; Deus autem non est purum non esse, seu ommissio. Sed hæc ratio non convincit: quia quamvis in Deo actus liber sit idem in re quòd necessarius, nihilominus datur in Deo actus liber. Ergo etiam dari poterit & actus puræ omissionis, quamvis ille in re & in reo sit quòd positivus.

Proba-